Dubl. coll. ad IV / XVIII / 1A

875.5

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

HYDROPE.

AUCTORE

FRANCISCO XAV. KREMLA,

DOCTORE MEDICINAE ET CHIRURGIAE, ARTIS OBSTETRICIAE ET OPHTHALMIATRICES MAGISTRO, C. R. MEDICO CASTRENSI SUPERIORE.

IOSEPHS. ACAD. BIBLIOTH.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

1838.

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek
Standort Zimmer Kasten L. Nr.
Katalog Abth. Gruppe Nr.

Non fingendum aut excogitandum, sed observandum, quid natura faciat aut ferat. —

Bacon. de Verulamio; Histor. vitae et mortis.

ADMODUM VENERANDO

AESTUMATISSIMO AC INTEGERRIMO

DOMINO DOMINO

P. JOANNI JAVORNICKÝ

PAROCHO, BIBLIOTHECARIO VICAR., NOTARIO EPISCOPALI

MERITORUM CIVILIUM NUMMO AUREO MED.
DECORATO,

EXIMIO FAUTORI SUO

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI SINCERIQUE CULTUS

Monumentum

PRIMITIAS HAS LITTERARIAS

DEDICAT

addictissimus
Auctor.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31879317

Denominatio et definitio morbi.

Hydrops, ὕδρωψ (ab ὕδωρ Wasser et ὤψ Aussehen); Wassersucht; fr. Hydropisie; engl. Dropsy, est generatim quaevis humorum serosarum collectio abnormis in parte corporis humani sive externa sive interna.

Latex autem serosus solummodo in membranis serosis et textu cellulari locum invenit, quapropter in his substratum hydropis generale quaerendum.

Symptomatologia.

Hydropis praesentia sequentibus manifestatur symptomatibus:

1) Volumen partis adfectae per fluidum morbose collectum augetur. Tumor distinguitur fere semper pallore, temperatura minori, elasticitate insolita, prementi cedit digito, illoque retracto foveolam relictam ostendit.

2) Functio organi adfecti, frequenter et partium vicinarum plus minusque alteratur, et quidem vel dynamice per morbos, ex quibus seri accumulatio pathologica scaturiebat, vel mechanice per seri pondus ipsum.

3) Nutritionis aut adest decrementum aut perversa indoles, modo ad partes singulas restricta, modo universum plectens organismum; flavescunt musculi, consumitur pinguedo, segnes evadunt motus, faciesque cachectice prospicit. Haec tamen praeprimis de sic dicto hydrope atonico putanda esse per transennam duntaxat monemus.

4) Momentosum cutis munus transpirationis nec non secretio urinae in omni hydrope plus minusve minuuntur. Cutis tangitur arida, aspera, sicca; epidermis in furfures frequenter dehiscit; lotium deponitur parcum, consuetim turbidum, subinde aquosum.

5) Fluidum ipsum morbose collectum qualitate maximopere variat; reperies plerumque in hydrope cerebri et anasarca aquosum; in ascite magis mucosum, lymphaticum saepe glutinosum, albuminosis floccis lymphaticis mixtum. Sed haec de qualitate solum in genere valent; color etenim aliaeque indoles de morbi hydropem progenerantis natura, de duratione mali, aliisque hujusce modi dependent circumstantiis.

Analysis chemica saepenumero in hydropicorum fluido detegit albumen, lympham coagulabilem, quandoque calcariam phosphoricam, sodam muriaticam, lixivam sulfuricam nec non phosphatis ferri vestigia. Basim vero hujusce fluidi sistit serum, qua circumstantia sola, hydropem morbum membranarum serosarum esse, satis monemur.

Albumen subinde tanta copia fluidum hydrope generatum impraegnat, ut coagulatio ejus sub modico jamjam calore e. g. + 35 aut 40° R. contingat. — Odor laticis nonnunquam nullus, nonnunquam sulfureus, inamoenus; sapor intensus, modo acris, modo salinus; color vel brunneus vel flavus, vel rubellus, imo et viridescens.

6) Permulta alia phoënomena singularia dependent a diversitate organi labe hacce correpti et ab aliis innumeris circumstantiis, e. g. agrypnia, sensuum hallucinationes et torpores, inquietudo, anxietas, tussis, dispnoëa, etc. De his particularibus symptomatibus verba hic facere, mihi non in mente est, quum de hydrope in genere disserere mihi proposuerim, quippe quum unicae jam hydropis speciei exarandae, numerosae dicari deberent paginae.

Duratio et decursus.

Generalia quaedam circa decurrendi modum atque circa durationem effari, vix ac ne vix quidem licet, quum alia ratio in quavis hydropis specie locum habeat.

Sic neminem effugit, decursum in hydrope scarlatinam excipiente, in hydrocephalo acuto summopere rapidum et velocem obtingere.

Ex contrario pariter notum, quam taediose, quam lente quaedam hydropis specimina e. g. hydrops saccatus, cyclum suum absolvant.

Terminatur autem morbus tractatus vel in salutem vel in alios morbos vel in mortem. Criticas operationes haud raro salutiferas observare fas est, e. g. per urinam, per sudores, per alvi dejectiones. Itidem per lysim pedetentim hydropes sanari animadvertimus.

Signa, ex quibus unus alterve exitus praesagitur, in sectione de prognosi explanare conabor.

D i v i s i o.

Diversissima sunt momenta, quibus pathologi hydropis divisionem superstruebant; missis tamen cunctis valore practico destitutis divisionibus, illas adduxisse juvabit, quae praecipue naturae et characteri morbi innixa, maxime securum probumque tum in medela instituenda, tum in prognosi tentanda, largiuntur ducem.

Nobis autem hicce locorum origo et character morbi, fluidi pathologici indoles et locus in quo residet, considerationi peculiari mereri videntur.

I. Quoad originem hydrops dividitur:

a) in idiopathicum

b) in symptomaticum.

Hocce discrimen in praxi rite institutum maxime necessarium est et scire oportet, numerum hydropum symptomaticorum longe praevalentem esse.

Quodammodo huc quoque pertinet distinctio;
in a) diathesicum,
b) adiathesicum.

Priorem nonnulli auctores universalem, huncce localem compellant, sed satis incongrue, nam et adiathesicus universalis fieri potest.

Hydrops symptomaticus jure merito secundum praecipuos status morbosos, ex quibus profluit, dispesci posset: in α) inflammatorium (aliis irritativum, hypersthenicum, erethisticum, activum) e. g. hydrops post scarlatinam, post aut potius cum inflammatione membranae serosae.

β) antagonisticum, ortum post refrigerium, post suppressionem cutis evacuationum, dum tela serosa aliorum systematum, quibus vinculo dynamico jungitur, munus vicario quodammodo suscipiat.

γ) in hydropem ex impedita circulatione, sive systema circulare primitive patiatur, sive secundaria quadam ratione ob organorum quorumdam degenerationem turbantem; huc pertinet notabilis hydropum numerus, quos auctores nomine atonicorum (asthenicorum, torpidorum) insigniebant.

δ) hydropem ex labe renum, quem recentiori demum tempore medici agnoverunt.

ε) tandem in hydropem dyscrasicum, sequelam utpote pravae sanguinis miscelae, quocunque demum modo adducta fuerit.

II. Quoad indolem, quam fluidum morboso processu progenitum prae se fert, discernitur:

a) hydrops aquosus, serosus, plerumque sequela exhalationis largioris sub labe membranarum serosarum interna. Haec hydropis species subinde per urinas sudoresque copiosiores solvi consuescit.

b) Hydrops lymphaticus. Hunc dignoscere fas est ex anamnesi (praegraessis chronicis organorum malis, pseudoplasmatibus, degenerationibus), ex coagulatione seri profusi sub frigida temperatura mox contingente.

In hac varietate criticae per urinam ephidrosimque evacuationes rariores inveniuntur; felicius quandoque morbus alviductionibus frequentibus repugnatur atque deletur.

III. Quoad sedem colluviei serosae plurimae exstant subdivisiones hydropis, uti: hydrocephalus, hydrorrhachia, hydrophthalmus, hydrothorax, hydrocardia, ascites, hydrometra, hydrops ovariorum, hydrocele, hydrarthron etc.

Distinguunt porro hydropem diffusum (freie Wassersucht) si exsudatum in majoribus vel minoribus cavis libere fluctuat e. g. hydrops cerebri, abdominis, articulorum; et hydropem saccatum (Sackwassersucht) quodsi exsudatum vel in receptaculis ad normam jam a natura sacci formiter constructis obtingit e. g. in hydrophthalmo, in hydrope tunicae vaginalis, vel vero in morbose separatis a se invicem dehiscentibus lamellis (hydrops peritonei, omenti, mesenterii) vel si nova peculiaria receptacula (cystides serosae) formantur, quod semper propemodum phlogoseos praegressae ope accidit.

Nosogenia.

Hydropis scaturiginem in vasis exhalantibus atque resorbentibus quaerendam esse, ex definitione ipsa jam elucescit.

Explicatio, quam pathologi hucusque largiebantur, docentes, in hydrope perversam esse rationem inter exhalationem atque resorptionem ob vitalitatis unius alteriusve functionis sive augmentum sive decrementum; haec inquam explicatio proxima quidem est et maxime commoda, ast, si penitius indagaveris, valore carens insufficiensque. Recentiores medici satis demonstrant in sola rationis dynamicae turbatae consideratione, nunquam morbi naturam erui, verbisque sonantibus nihil usquam perpetrari. Experientia itidem, proh dolor! satis superque quotidie docet, innumeras hydropis formas insanabiles resistere, quamvis

medici praedicatae theoriae confidentes cuncta medicamenta larga manu propinaverint, quaecumque sub titulo systema absorbens incitantium aut actionem ejusdem systematis coercentium venduntur.

Manu missis quapropter cunctis hypothesibus, morbos illos contemplaturus sum, quorum pedisequa hydrops esse consuescit, contentus, si morbum inter primitivum ac secundarium versantem rationem aliquo veritati consentaneo modo delucidavero.

Hac, quousque licet, rite perspecta, agnotisque momentis disponentibus et producentibus, therapia nec non prognosis, ni fallor, securior firmiorque evadet.

Conditiones morbosae, ad quas cunctorum propemodum hydropum origo reduci potest, sequentes mihi videntur.

1) Inflammatio. In hac serum exsudatum qua productum considerari debet, hacque productus hydrops nequaquam morbum peculiarem sistit, sed symptoma duntaxat morbi alius. Neoterici phlogosibus exsudatum gignentibus, hydrophlegmasiarum quamobrem nomen impertiuntur.

Ex inflammatione praegressa hydrocephalum acutum, exsudatum pleuriticum aliasque formas conspicere licet.

Hanc speciem: febris, calor universalis auctus, cephalaea aliaque turgescentiae systematis sanguiferi phoenomena comitari solent; urina plerumque simul parca eliminatur, sitisque urget.

Serum ipsum in cavis effusum colore plus minusve rubello distinguitur, flocullosque lymphaticos, aut si longius jam ab inflammatione praeterlapsum fuerit tempus, strata pseudoplastica offerre solet.

Notandum hicce locorum est, tumorem hydropicum sic dictum inflammatorium seu activum resistentiam majorem manui tangenti opponere minusque diu prementis digiti vestigium retinere, coloremque non adeo pallidum sed subinde roseum palam facere.

Nec medicos antiquiores, colluvies serosas frequenter ex inflammationibus prodire, latuit. Sic in operibus cl. Morgagni, Fabricii ab Hilden, Vieussenii, Sauvagesii, plures casus exsudatorum genuine narratos reperies, quos nemo non pro sequelis phlogosium antecedentium declarabit.

Sufficiat adnotasse, numerum adfectionum hydropicarum tali modo natarum, longe illum ex aliis prophasibus emergentium superare.

Ex his jam elucet, eadem, quae phlogosibus favent, in procreando hydrope inculpari posse.

Diversas autem hydrophlegmasiarum varietates non in omni aetate eadem frequentia occurrere constat; hydromeningitidem in infantibus, peritonitidem exsudativam in subjectis adultioribus frequentius observare contingit.

2) Impedimentum mechanicum circulo (praeprimis venoso) obtrusum; huc pertinent: obliteratio, compressio, angustatio, obstructio nec non varicosa venarum dilatatio; cardieurysma cum parietum attenuatione, valvularum cordis et vasorum majorum incrassatio, ossificatio; huc quoque pertinent impermeabilitas pulmonum ex pneumonia, vitia vasorum arteriosorum et lymphaticorum. Haec circuli vitia tum originaria inveniuntur, tum degenerationis organorum praeprimis abdominalium, uti hepatis, lienis, ovarii, uteri effectus esse possunt. Hinc frequentes hydropes in indurationibus, in atrophiis, scirrhis organorum, ob circuitus liberi justique turbam.

Recentiores medici, inter quos ingeniosus Andral et Bouillaud numerosis observationibus instructi effantur, hydropem mox universalem evadere, quodsi obex circuli in corde ipso aut in vena majori delitescat; topicum autem remanere consuetim, si vena mediae aut minoris diametri labe fuerit adfecta.

Ratio, ex qua impedimenta mechanica circuitus, infiltrationem et exsudationem serosam proliciant, in eo quaerenda erit, quod subinde natura ipsa circulum collateralem

conserve t aut constituat, quo obstaculi sequelae alias necessariae amoveri et arceri queunt.

Consuetim quantitas fluidi exsudati in ratione directa cum obstaculis versatur, quae circulationi per ramos collaterales objiciuntur, nec non cum tempore, per quod influxus obicis istius animadvertitur.

Quod vitia cordis organica, ut experientia luculenter monstrat, frequentissime ad seri, in textu celluloso et cavis, accumulationem pathologicam conferant, haud mirabitur, qui sub istius modi malis sanguinis motum tum in arteriis tum in venis tardiorem lentioremque fieri rite aestimaverit.

Nulla exigitur demonstratio quod et talis hydrops nonnisi qua symptoma aliquod censendus sit, morbum alium designans.

Hydropi hoc modo generato plerumque titulus »atonicus, torpidus« tribui solet

Superest adhuc ut diagnosim hujus varietatis quid designem:

Fluida ex impedito circulo sive in textu celluloso sive in cavis collecta, maximam inter se analogiam palam faciunt; plerumque turbida, decolora aut flava reperiuntur; chemici in illis detexerunt aquam, albumen, partesque salinas (sodam et lixivam galacticam nec non phosphatem natri).

Impedimentis derepente intrantibus ac invincibilibus quandoque serum materia sanguinis colorante tinctum apparet aut cum sanguine transsudato miscelam induit.

Oedemata tali modo producta id peculiaris habent, quod nonnunquam locum mutent, regiones inferiores tamen praediligant, quod tumor mollis sit, diuque digiti impressio animadvertatur, quod porro calor cutis multum inferior, colorque pallidus et albescens appareat.

3) T u r b a t a c u t i s f u n c t i o. In climate calido saepe saepius homines post refrigerium derepente hydropicos fieri notum, neque apud nos observandi occasio deest, confestim quandoque post refrigerationem vehementiorem sub

madore cutis, hydropem evolvi. Exempla quoque numerosa in scriptis legere contingit.

Haec hydropis forma inter piscatores, lotrices, nautas frequentior; ad littora Belgiae, Angliae etiam haud insolita invenitur.

Prouti hydrops ex tali ratione aut lento gradu evolvatur aut extemplo emergat, phoenomena aut magis hydropi sic dicto acuto, inflamatorio, aut illi alia via intranti plus minusve similia et correspondentia animadvertuntur.

4) Morbosus renum status. Observationibus genuinis per seriem annorum a celeb. Anglo Brightio continuatis evictum modo est, hydropes idiopathicos rariores esse, ac prius assumebatur, eorumque longe plurimos symptomata duntaxat degenerationis peculiaris, granulosae in substantia corticali renum esse, quae praecipue per excretionem lotii albumine scatentis minorique pondere specifico gaudentis indicatur.

Argumenta, quae medicus iste egregius, adjuvante postmodum ejusdem amico Bostokio, chemicas indagationes circa hunc morbum suscipiente, adducit, quod revera praeter notas hydropis prophases et degeneratio renum peculiaris aestimanda sit, haec circiter sunt:

a) In nonnullis casibus antequam hydropica inflatio aut exsudatum ullibi conspiciatur, symptomata passionis cujusdam renum intrant, uti dolor aut sensus ponderis in regione renali, lotii excretio albuminosi, hinc inde sanguinolenti.

b) Pariter nonnunquam morborum cordis, vasorum, hepatis aliorumque organorum deflexiones desunt.

c) Sectio cadaverum hydrope mactatorum haud raro nonnisi renum structuram a norma deviantem ostendit.

Observationibus Brighti recentiori tempore accedebant disquisitiones maximi momenti ab Anglis Allison, Gregory et Christison, a Gallicis Desir, Sabatier, Rayer institutae. Circa dilucidationem penitiorem hujus morbi, quem passim morbum Brightii nuncupant, plurima

libro ab Eduardo Seymour novissimo tempore (anno 1837) sub titulo »on Dropsies« edito, debemus.

Notandum tamen hic venit, casus inveniri rariores, in quibus, utut praesente morbo Brightii, hydrops non sequeretur; consuetim tamen hydrops mox universalis evolvitur.

Urina in hoc casu ut prius adduximus, praevalente albuminis copia distinguitur, quae per facilem coagulationem sub calore quidquam intensiori, conspicua fit; praecipitati quantitas pro majori minorive albuminis abundantia discrepat; color urinae missae varius atque varius est pro ratione gradus morbi, ut ergo brunneus, brunneo-rubellus, vel etiam stramineus et viridescens; sed fere semper turbidum lotium excernitur facile putredinem concipiens.

Quod causas hujus morbi attinet, certa et determinata nondam innotescunt. Referunt quidem inter causas producentes medici neoterici, quibus cognitio hujus mali debetur, suppressionem functionis cutaneae, nutrimenta vilia, potusque, alcoholicos (Bright) mercurialia larga manu porrecta, (Craigie) medicamentorum diureticorum abusum (Osborne).

Quoad sexum, majorem hujus morbi in foeminis frequentiam adnotant; senes atque infantes liberi hucusque reperiebantur.

5) Crasis sanguinis vitiata. Mutationes sanguinis ipsius diversae saepius in hydropis genesi accusandae sunt.

Sic plethora haud raro infiltrationem serosam adducit, quae formis activis adnumerari debet; inde explicantur oedemata sub menstruatione prima moliminibus juncta, sub graviditatis initio et sic porro. Celeb. Magendie repetitis disquisitionibus declaravit, absorptionem sub plethora omnino imminui, plethoraque evaporationibus sanguinis soluta vim absorbentem iterum in pristinam restitui integritatem.

E contrario fere accumulatio morbosa ex crasi sanguinis magis serosa oritur, ut: ex penuria nutrimentorum,

(hinc hydropes subinde epidemici occurrebant) ex profusis sanguinis evacuationibus, haemorrhagiis, diastasi lymphatica, scorbutica, chlorotica. Cuncta, quae sanguinis elaborationem justam impediunt, cruorisque defectum conciliant, huc contribuunt: nutrimenta prava, vitia, oligochyla, aër humidus, impurus, lucis atque aëris sufficientis denegatio, motus neglectus.

Substantiis quoque venenatis sanguinis crasis alienata ad hydropem producendum par invenitur, ut multi testantur auctores.

Hydropem huncce dyscrasicum medici consuetim cum illo ex circulis turbis oriundo sub titulo »atonici, asthenici, passivi« comprehendunt.

Quum his modo circa nosogeniam prolatis demonstrare adnisus fuissem, omnem fere hydropem nonnisi symptoma et, ut ita dicam, umbram alicujus conditionis morbosae profundioris esse, quarum quinque adduxi, sponte sua elucet; quamvis potentiam inimicam uni alterive conditioni allatae scaturiginem praebentem, etiam relative hydropis causam esse. Ad taedium usque prolixus esse deberem; si cuncta haec momenta enumerare susciperem, quae quinque tractatis statibus morbosis favent; quasdam tamen singulares rationes geneticas suo loco adduxisse oportuit.

Respectu dispositionis ad hydropem circiter haec valent: Constitutio sic dicta torpida cum praevalente systematis lymphatici atonia, temperamentum phlegmaticum, habitus pastosus; quatenus ejusmodi proprietates connatae sunt, eatenus dispositionem quoque haereditariam ad hydropicum malum assumere licet, saltem ad hydropem sic dictum atonicum, circuli vitiis, dysmorphis organorum, nec non dyscrasiis sanguinis initentem.

Sed et constitutio tenera, gracilis corporis structura, stimulorum receptivitas justo major, cutis tenera ad hydro-

pem ducere valet et quidem ad sic dictum inflammatorium sive activum.

In sexu foemineo hydropes frequentiores ac in viris occurrunt; in illis circa annos climactericos praecipue sese insinuant.

Prognosis.

In genere prognosis in hydrope infausta statuenda. Quae autem medicum in stabiliendo praesagio determinare valent momenta, valorem practicum includentia, circiter forent sequentia:

1. Morbi primitivi, unde proficiscitur hydrops, indoles et gradus, ut ergo prognosis istorum morborum pro correspondente hydrope valeat.

Si morbus originarius natura artisque auxilio tollendus, hydropem ne timeas: confestim saepenumero evanescit, morbo ablato, qui illum suscitaverat; lethalis fere semper evadit hydrops ventriculorum cerebri; anceps hydrops pericardii ex praegressa pericarditide; exsudata post pleurae atque peritonaei inflammationes saepissime artis auxilio visque medicatricis ope resorbentur, si individuum juvenile, bene constitutum, nullis morbis exhaustum, nulla labe alia pressum fuerit, omnesque processum primitivum sustinentes potentiae arceantur.

In individuis tamen cachecticis, praecipue scrofulosis, aliquo in organo laborantibus facili negotio post inflammationes in lympha exsudata tubercula nova super membranas serosas efformantur, quorum effectus, hydrops, infauste saepissime terminatur.

Arti quoque plerumque resistunt: vitia cordis, gravesque organorum abdominalium degenerationes, scirrhi, hypertrophiae, atrophiae, sarcomata medullaria aliaque hujus generis vitia.

Quodsi circuli obstaculum levius fit, cui solvendo natura arsque sufficiunt, hydrops quoque inde natus medelam admittit.

Laetiorem prognosim hydropes inflammatorii concedunt; quum arti adminicula praesto sint, statum irritativum aut inflammatorium ammovendi.

2) Extensio. Hydrops circumscriptus solito decurrit sub omine feliciori ac latius extensus et universalis, quum jure merito in ultimo casu suspicio mali evecti profundius irradicati moveri possit.

3) Aetas et constitutio. Individua juniora, firmiori constitutione praedita facilius, senes decrepidosque difficilius sospites evadere, non est quod prolixius deducam.

In genere ad phoenomena timenda pertinent: labes digestionis praegressae, cutis inertia invincibilis, livor pallorque faciei, urina parca, polydipsia, seri pessumdatio, pulsus parvus, intermittens, scorbutica signa.

Pessimi ominis censentur: febris depascens, dolores in visceribus sero inundatis, diarrhoea spontanea; malum signum speciatim in hydrope cutaneo inflammatio erysipelatosa in gangraenam ruens.« Gangraena hydropicis superveniens, ait Boerhaavius, in pedibus frequens, saepeque per vesicatoria nata, pessima est et mortis nuncia.

Ad extrema ventum est Hippocrate teste in hydropicis, ubi sub infimis viribus ac ingenti dyspnoea jungitur diarrhoea, ubi mala magnaque ulcera in ore, gingivis tibiisque subnata; ubi urina diversis matulae regionibus diversos exhibet colores.

Omnes fere hydropici circa plenilunium pejus se habere solent, eoque tempore etiam prope semper, teste experientia moriuntur.

Therapia.

In hujus expositione generalia tantummodo attingam, quae assumi possunt, sine respectu ad singulas hydropis species varia organa plectentis.

Munus medici curam hydropis tentantis in sequentibus fundatur:

a) Indaganda est ante omnia conditio hydropis patholcgica, hujusque per quantum fieri potest, exstinctio periclitanda;

b) latex effusus per vias opportunas eliminetur;

c) praecavenda est ulterior ejus accummulatio.

Hydrops ex suppressione transpirationis cutaneae desiderat remedia diaphoretica, levia rubefacientia externa, frictionem, illinitiones cum oleo calido, nonnunquam et balnea.

Status irritativi et inflammationes praesentes apparatum antiphlogisticum efflagitant; huic tum et hydrops cedet.

In hydrope ex circuli vitiis arduum est negotium inveniendi remedia efficacia; revera palliativa ut plurimum solummodo hic locum habet methodus et ut consuetim accidit, si circuli retardatio ex degenerationibus viscerum, morbis cordis et vasorum propullulat, nihil aliud agendum restat, quam ut virium status respiciamus illarumque quousque valemus, integritatem reservare adnitamus.

Sunt casus, in quibus curam radicalem vitiorum organisationis nequidem tentare possumus, in quibus subinde quodvis remedium quodammodo heroicum mortem citiorem advocaret.

Sanguinis miscelam incongruam remediis pharmaceuticis diversis diaetaque adaptata emendare studemus.

In morbo Brightii laudantur in genere pharmaca viis urinariis adfinia.

Ad eliminationem seri morbose accumulati partim chirurgica, partim pharmaceutica remedia praesto sunt.

Adhibetur punctio praeprimis in hydrope derepente exorto et cito magnum gradum adepto, in metu suffocationis ex nimia fluidi mole, si remedia pharmaceutica nullum levamen aut non satis cito adferant.

Scarificationes, quas hinc inde medici in hydrope anasarca, si cutis nimium tensa, nitida apparet et passim disrumpi minatur, in usum trahunt, magna cum cautela adhibendae, praeprimis in subjectis, dyscrasia quadam notatis, in quibus facile gangraenescentia intrare posset.

Puncturas quoque acus ope in hydrope cutaneo adhibere subinde licet.

Vesicantia praecipue in hydrope pectoris, pericardii et articulorum quadrant, nunquam in hydrope anasarca, quum ulceribus gangraenosis ansam largiri possent.

Ad remedia pharmaceutica symptomatice, hinc inde mere empirice usurpanda, pertinent: Emetica, Purgantia, Diuretica, Diaphoretica, Sialagoga, Illinitiones oleosae etc.

a) Emetica in hydrocele saepius repetita, in hydropis exordio nonunquam proficua inveniuntur. Praedicantur in hydrope sic dicto torpido, sub simultanea labe digestionis, sub influxu affectuum deprimentium praegresso.

Sydenhamus illorum adplicationem laudat: »per »vomitus (dicit) solvuntur cuncta tenacia, concutiuntur ob»structa, expelluntur stagnantia, unde mirabiliter in hoc »morbo (hydrope) prosunt. Cullenius quoque usum ho»rum remediorum laudat.«

b) Purgantia — symptomatice velocissimum suppeditant auxilium. Fortioribus his catharthicis lubenter confidunt medici, quum alviductiones serosas progignant, quapropter etiam hinc inde sub nomine — »hydragogorum« comprehenduntur.

c) Diuretica. Ad haec fere semper therapia hydropis recurrit, quia via uropoëtica maxime ad eliminandos humores serosos naturalis dicenda est. Sed et in his medicamentis justus selectus necessarius evadit, alia atque alia pro morbi indole, duratione, origine promenda erunt.

d) Sialagoga. Haec in hydrope ventriculorum cerebri et oculi praecipue conducunt; adhibetur quamobrem interne mercurius dulcis, externe unguentum cinereum.

e) Diaphoretica. Eximie faustam subinde exserunt actionem, si hydrops ex systematis cutanei laesa productus fuerit functione.

Nisi contraindicationes intersint, suadendum, ut diapnoica maxime aestate, diuretica hyeme et purgantia auctumnali tempore in hydropicis adfectionibus propinentur, quum temperatura aëris diversa secundum anni tempus, tempestatem et clima non sine influxu in crisium variarum promotionem reperiatur.

f) Oleosae illinitiones in multis quoque casibus proficuae. Ex his Schmidtmann egregios animadvertisse effectus adfirmat.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Physiologia medicinae basis.

II.

Exploratio medicamentorum in organismo sano permultum ad vires eorum cognoscendas confert.

III.

Usus aquae in morbis summam meretur medici attentionem.

IV.

Saepe accidit, ut facies morbi variet pro vario medendi processu, ac nonnulla symptomata non tam morbo, quam medico debeantur.

Sydenham.

V.

Quo plura in morbo aliquo laudantur medicamenta, eo minus ejus natura constat.

VI.

Medici auctoritas optimum remedii corrigens.

VII.

Methodus medendi specifica cuivis aliae praeferenda.

VIII.

Mercurius in syphilide remedium specificum.

IX.

Rheum alvum movet, sed et coërcet.

X.

Non raro diarrhoea purgantibus, vomitus emeticis curatur.

XI.

Gangraena nosocomialis est species typhi contagiosi.

XII.

De sectione caesarea solum dijudicet puerpera.

XIII.

Oculus humanus speculum organismi.

XIV.

Medicus non solum minister sed etiam magister sit naturae.